



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Ipris Flandrorum, 1612**

4. Religionis ergo Romam, inde Hierosolymam contendit, quæque ei hac in peregrinatione contigerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45048**

## CAPVT. IIII.

*Religionis ergo Romam, inde Hierosoly-  
mam contendit, quæque ei hac in pere-  
grinatione contigerunt.*

**I**Am verò cùm aliquantulum recrea-  
tus videretur ex morbo, in eum ite-  
rum & tertio relapsus est, propterea  
quòd inuictò constantique animo sibi  
maius onus, quàm ferre posset, impo-  
neret. Sed vsu tandem edoctus & in-  
credibili stomachi dolore ac hiemis  
asperitate victus, de sententia amico-  
rum, corpus duabus tunicis vilibus,  
cineritij coloris breuibus horridisque  
operuit, caput verò eiusdem coloris  
dimidiato velut cucullo contexit. Ac  
in eo quidem vitæ genere noster Igna-  
tius annum pæne Minoressæ commo-  
ratus cõstanter perseueravit. Sed quo-  
niam Deus eum ad maiora destinarat,  
ex ea solitudine reuocauit, & adeundi  
Hierosolymam ei mentem iniecit. Mi-  
noressa itaque discessit solo Deo co-  
mitatus, qui cum solus agere, sine co-  
mitum impedimento cupiebat, tamen  
si com-

Profi-  
cisci-  
tur  
Hiero-  
soly-  
mam.



si cōplures huius itineris comites illi  
sefe obtulissent: verum ille solus Barci-  
nonem cōtēdit, propterea quod totus  
à paterna Dei prouidētia & nutu pen-  
dere, nulla in hominibus spe posita,  
peroptabat. Barcinonense igitur tem-  
plum ad audiendam concionem in-  
gressus sessum iuit in gradibus altaris  
inter medios puerorum greges. Illic  
Elisabetha Rosella nobilis mulier, vt  
nostrum peregrinum adspexit, nescio  
quo fulgore (vt ipsamet mihi Romæ  
narravit) os ei collucere sibi visa est  
intueri, vocemque audire, qua illum  
iuberetur arcessere. Itaque peracta  
concione statim vocandum curauit,  
& ad viri sui prandium benigne adhi-  
buit. hic inter epulas mirari omnes  
eum de rebus diuinis magna grauitate  
differentem, insignique modestia ad  
amorem veri summique boni cohor-  
tātem. Myoparonem inde cōscensurus  
erat, vt iam cum nauarcho pactus fue-  
rat, sed Elisabethæ consilio mutauit  
pactionem, & relicto myoparone qui  
in vrbs conspectu naufragium fecit,  
in aliam nauem ingressus, Caietam  
incolu.



incolumis tenuit, vnde magnis cum incommodis & laboribus Romam petiit. Etenim anno *MD. LXXIII.* vt grauis pestilentia Italiam peruaserat, factum est vt omnibus passim tectis ac moenibus arceretur, & vbi cunque nox eum occuparet, ibi subsistere cogeretur, neque vel tantillum progredi posset fame ac debilitate confectus. Nihilominus tamen quacunque ope potuit Romam Dominico palmarum die peruenit, stationes vrbs augustaque ac sancta loca adiuit, atque apostolicam benedictionem ab Adriano VI. qui tum Dei Ecclesiam administrabat, accepit.

Romæ cum ad dies quindecim subsisteret, multi Hierosolymitanam ei peregrinationem dehortari conati sunt, obiiciendis nauigationis longæ & infestæ periculis, durioris annonæ & morborum incommodis: sed obfirmatus eius animus omnes illorum conatus elusit. Quinetiam leuiter persuasus à quibusdam vt ad persolendum naulum septem vel octo aureos nummos acciperet eos mox accepisse poeni-



poenituit, quòd id minimè conuenire  
 & cum extrema paupertate quam  
 maximè diligebat pugnare videretur;  
 quare factis obuiam pauperibus eos  
 diuisit. Iam verò incredibile dictu est,  
 quanta, quàm grauia pertulerit in tam  
 longinqua peregrinatione incòmoda.  
 In publico quippe pernoctare, omnes  
 eum à se repellere, ac veluti quoddam  
 mortis simulacrum horrere, etiàm  
 eiusdem viæ comites & socij, squallore  
 corporis atque oris pallore deterriti.  
 Sed qui testatur Dominus: *Non di-*  
*mittam neque derelinquam te,* Quis a  
 Patauium abeunti in æquata agri pla-  
 nicie adesse visus, eum suauitate præ-  
 sentis suæ recreauit, atque ad tole-  
 randa pro amore suo multo duriora  
 erexit, facilem denique tum Patauij  
 tum Venetiis ingressum præbuit: qua  
 in vrbe legatum Caroli Cæsaris &  
 Hispaniarum Regis conueniendum si-  
 bi non putauit, quòd non humanam  
 gratiam, sed tantummodo diuinam  
 expeteret. Sed ecce Venetiis noua  
 difficultas rursus exorta est; quia non  
 defuerunt qui iterum eius nauigatio-  
 nis

Iosue 8

Chri-  
stus ei  
appa-  
ret  
eum-  
que  
còso-  
latur.



nis cogitationem ex animo conarentur euellere, propterea quòd anno superiore Rhodus insula in Solymani Turcarum Imperatoris potestatem venisset, & febris fuisset afflictus Ignatius. Verum nullæ machinæ potuerunt aut eius animi magnitudinē vincere, aut spem debilitare, quin si vel actuariolum è portu solueret, eo Hierosolymam ipse Deo duce traiceret.

Interea de more victum ostiatim quarebat & in publica Sancti Marci area, eius ciuitatis potissima, noctem exigebat, quando Senatorem è prima nobilitate suauiter quiescentem in lectulo cælestis eiusmodi vox excitauit è somno: Quorsum tam mollis & exquisitus accubitus? domus adeo magnifica & lauta? interim dum seruus meus pernoctat nudus & pauper in publico? tu in pretioso strato decumbis; ille iacet in humo nuda sub dio. Hic ille ingenti metu perculsus cōfestim è lecto se corripit, peregrinum querit diligenter, deprehensumque in area D. Marci humi cubantem, cū eum esse sentiret de quo vox illa monuerat,

A patritio Veneto Dei monitu nocte queritur & humi iacens inuenitur.



nuerat, domum deduxit ac perhonorificè liberaliterq. tractauit. Sed cùm honores & delicias eiusmodi respiceret, incidissetque in popularem quendam ac veterem sodalem suum, multis ab eo precibus rogatus à lautiore hospitio ad eius conuictum se recepit. Haud longo interuallo ad Andream Gritum Venetorum ducem accessit, ab eoque contendit, vti eius auctoritate, prima nauigatione facultas sibi transmittendi mare gratis concederetur. Annuit ille præcepitque vt prætoria naui qua nouus Gubernator uehebatur sine nauulo in Cyprum transportaretur. Soluit igitur prid. Id. Iul. anno CIO. IO. XXI. quo die æger medicinam hauserat, quamuis ob hoc medici manifestum ei vitæ discrimen denunciarent. Sed superioris medici ductum secutus, breui inter nauigandum perfectam sanitatem recuperauit. Multa, vt fit, flagitia in ea nauicommittebantur quæ noster peregrinus amore Dei vehementer incensus, magna libertate reprehendebat, quod cùm vectoribus minus probaretur, de

Nauigat  
Hiero-  
soly-  
mam,  
mag-  
neque  
pericu-  
lo li-  
beta-  
tus.

eo ex-



Loca  
sancta  
singu-  
lari  
cum  
deuo-  
tione  
inuisit

eo exponendo in deserta quapiam in-  
sula deliberarunt; verum ad eam ap-  
propinquantes nauę aduerso repente  
vento naui reiecta non potuerunt co-  
gitata perficere. In hac nauigatione  
Deus suę præsentię suauitatem ei sæ-  
pius impertiait, eius animum spe ro-  
borauit, & incredibili gaudio confir-  
mauit, tandem prid. Kal. Sept. saluum  
& incolumem Ioppen inuexit, Hie-  
rosolymamque ante diem xviii. Kal.  
Octobr. perduxit. Magis est cogitare  
quàm dicere, quanta voluptate Deus  
eum perfuderit cùm primùm sanctam  
illam ciuitatem vidit, quanta gratia in  
ea commorantem affecerit, quantam  
alacritatem attulerit, cùm ea loca ve-  
nerabundus adiret, quæ Dominus sua  
præsentia consecrauit, quanta conso-  
latione permulserit illius diuini bene-  
ficij memoria, quod nulla mens aut  
cogitatio capere possit. Constituerat  
Hierosolymis reliquum vitæ suę tem-  
pus degere, hominumque saluti pro  
sua virili transmitters, quamuis hoc  
postremum nulli patefaciendum pu-  
taret, ne quisquam eum laudandi vel

de eo



de eo bene sentiendi hinc occasionem acciperet. Sed cum voluntatem in iis sedibus restandi Præposito Prouinciali Franciscanorum exposuisset, multis grauibusque incommodis ex eo cognitis, de Patris ipsius sententia, Deique nutu eum ad maiora vocantis, in Hispaniam re nauigare decreuit, & illud vitæ genus amplecti quod Deus sibi gratum acceptumque esse monstrasset. At priusquam Hierosolyma decederet, reuisendi montis Oliueti, in cuius saxo cernuntur adhuc Christi ascendentis in cælum impressa vestigia, mira eum incessit cupido; quo ut voto potiretur, clam se subdixit, & nullo duce, nullo comite, nullo Turca custode (que res est ibi plena periculi) solus properauit ad montem. Cum desiderij sui compos abscessisset inde, noua cupiditate rursus incensus notandi quæ cæli plaga situm esset dexteri, quæ sinistri pedis vestigium, iterum ad eundem recurrit: cumque ut admitteretur nihil haberet quod pro mercede custodibus daret, cultellum & forficulas obtulit. Quamuis autem &

In monte Oliueti quid ei acciderit

Christus eum sua præsentia consolatur;

B

Franz



Franciscanae familiae Patres, & Christianus ab iis ad hominem perquirendum missus, acriter eum increparent, solitam tamen animi tranquillitatem retinuit, quod Christum presentem & ad portam usque coenobij praeeuntem cerneret; quo viso, supra modum recreatus omnem cum gaudio molestiam superabat.

## CAPVT. V.

*Hierosolyma in Hispaniam reuertit, multisque eripitur periculis.*

**C**VM autem peregrinus hic noſter Hierosolymis in Italiam reuertetur, vt adulta hyeme, omnia glacie niuibusque concreuerant. Interim linea dumtaxat veste concisoque ad humeros thorace & tunica breuiore semiamictus, calceis pedibus indutis, cruribus nudis incedebat. Cum tres porro in insula Cypro naues offendisset vesificari paratas, vnam Turcarum, Venetorum alteram, firmam illam omnibusque rebus egregie instructam; tertiam modicam, male coagmentatam